



7848.

1720 / 15

10.

496

4
u

DISSERTATIONEM PRACTICAM
DE
LEGITIMA
PRINCIPIO.
RVM J. N.
APPLICATIONE

AMPLISSIMÆ FACVLT. PHILOSOPH.
CONSENSV
PVPLICE PROPONIT

PRÆSES

M. JO. SYLVESTER *Weingärtner*/
S.S. THEOL. CVLTOR ET COLLEGII AMPLIO-
NIANI COLLEGIATVS

RESPONDENTE

GEORGIO CASPARO *Stieler* ERF.
PHIL. ET JVR. VTR. STVD.

AD DIEM XXV. JAN. A. O. R. M DCC XX.

ERFVRTI
TYPIS JOH. MICH. FUNCK, ACAD. TYPOGR. ADJ.



VIRIS
MAGNIFICIS CONSVLTISSIMIS PRÆ-
NOBILISSIMIS AMPLISSLIMIS PRV-
DENTISSLIMIS REIPVBLCÆ
ERFVRTENSIS

DN. CONSVLIBVS
DN. SYNDICIS
DN. PROCONSVLIBVS

NEC NON
RELIQVIS SENATVS AMPLISSL.
PROCERIBVS

SPECTATISSLIMIS GRAVISSIMIS PATRONIS ATQVE MÆCE-
NATIBVS MEIS PER OMNEM ÆTATEM

SINGVLARI PIETATIS CVLTV
PROSEQVENDIS

S.



VIRI

MAGNIFICI CONSULTISSIMI PRÆNOMILLISS. AMPLISS.
PRUDENTISSIMI!

XENOPHON, magnus ille Philosophus, nec minor Historicus, cui eloquentia Musa & apis Attica nomen piperit, Rempubli-
cam Persarum tanquam optime constitutam, vel eo nomine com-
mendat, quod virtuum ingratiani animi, reliquorum matrem non
infecundam, odio plus quam Vatiniano fuerint prosecuti, ita quidem,
ut actionem aduersus ingratios intentare, & acerbiori pena eos adscire
nulli dubitauerint. Notata digna sunt ejus verba Lib. I. de Institut.
Cyri p. m. 4. ex editione & versione JOH. LEWENNKLAI*Ita sè ha-
bentia*: Si intellexerint gratiam non referentem, quum possit, in eum
etiam severa animaduertunt. Nam ingratios homines inprimis erga
Deos, parentes, patriam, amicos esse negligentes arbitrantur.

Ista animo mecum voluens, eam semper dedi operam, ut grati ani-
mi declarationem significarem erga singulos, quibus beneficia in ace-
ptis tulisse meminoram. **VOBIS** imprimis **PATRONI SPECTATIS-**
SIMI, ut memorem benefactorum animum praestem, causas habeo
per quam multas, easque non leuiores, quibus commemorandis si vellem
inbenerere, timendum foret, ne plura beneficentia argumenta occurre-
rent, quam ut singulis gratius posset animus respondere. Ab omnibus li-
get discessero, silentio tamen minime possum præterire, insigne quod ab
hinc quatuor annis in me contulisti beneficium, cum pro summa Ve-
stra in me benevolentia locum mibi in Collegio nostro Amploniano affi-
gnare, meque in numerum collegiorum recipiendum, Spe etabili Por-
ta Celi DOMINO DECANO, de meliori commendare fuisse dignati.
Quam munificentiam sicut *gratissima* adhuc recolo memoria, neque un-

) (2

quam

DEDICATIO.

quam animo effluere sinam; ita primitias has Academicas, tanquam
exiguum gratae memoriae argumentum MAGNIFICIS atque AMPLO-
SIMIS VESTRIS NOMINIBVS ut incriberem, tanto arctiori obli-
gationis vinculo me obstrictum credidi, quanto maiorem erga studia
mea propensionem ex PATROCINIO VESTRO perspexi. Ingratus
itaque videri possem, nisi occasione ista teftatum relinquere apud o-
mnes, in quanta reverentia & existimatione liberalitatis vestra me-
moriā habuerim, qua adiutor in eum locum studia mea deduxi, ut
praeſens ſpecimen MAGNIFICIS VESTRIS NOMINIBVS consecrare
potuerim. Neque leuitate aut temeritate quadam me ad ſcribendum
fuiffe induximus, vel ex eo ſolo intelligi potest, quod Leges MAGNI
FVNDATORIS nostri, cuius memoria fit in benedictione! a Magiftris
Porta Celi, ut legendo & diſputando ſe exerceant, ſtudioſe requirant,
quibus ut morem gererem & Pietas in manes AMPLONTI pia memorie,
& ſtatutorum religio maxime me obligauit. Quod ſuper eſt, ut conamina
iſta Academica leuiora, ſerena fronte, & beneuola manu excipiatis,
meamque ſalutem VOBIS porro maiorem in modum habeatis commen-
datam, precibus atque votis meis humillime contendeo.

VESTRORVM NOMINVM MAGNIFICORVM
CONSVLTISSIMORVM PRÆNOMINISSIMO-
RVM AMPLISSIMORVM PRUDENTISSI-
MORVM

Dabam Erfurti VIII. Calend.
Febr. A. O. R. MDCC XX.

deuotus cliens

M. Joh. Sylvester Weingärtner, SS. Theol.
Cultor & Colleg. Ampion. Collegiatus.



CAPUT I. DE JURE NATURALI ET EJUS PRINCIPIO.

- Σύνοψις Capitis.
- §. I. Homo factus est a Deo ad finem infinitum.
 - §. II. Ad hunc finem homo, dirigitur per leges naturales.
 - §. III. Quare per solas leges homo dirigi possit?
 - §. IV. Duplex voluntatis Divine promulgatio: altera per revelationem, altera per res naturales.
 - §. V. Posteriori modo leges naturales sunt promulgatae.
 - §. VI. Juris naturalis duplex significatio.
 - §. VII. Juris naturalis definitio;
 - §. VIII. Definitio explicatur.
 - §. IX. Leges naturales sunt leges proprietas tales.
 - §. X. De principio juris naturae, quod definitur.
 - §. XI. Hujus principii natura & Indoles.
 - §. XII. Juris naturae principium statutum finis rerum.
 - §. XIII. Hoc principium requisitus sui gaudet.
 - §. XIV. In jure naturali adest notitia certa.

S. I.

Uemadmodum ineffabilis Numinis benignitas in sapientissima creatione ita se habuit, ut omnes creature ad finem quandam universalem fecerit, quem ut consequantur, omnes collineare & ultimato eo tendere debent; Ita in primis Deus hominem seu nobilissimam creaturam earum, quae sub aspectum veniunt, ad finem aliquem summum & infinitum condidit, scilicet summi & infiniti boni possessionem, ad quem ut homo perveniat, omnem suum desiderium omnesque actiones in id componere debet, ut huic fini sint convenientes.

A.

Finis

Finis autem hujus insinuti certitudo solide & perspicue ex anima
humanæ * immortalitate, ex intellectu hominis abstractivo, volun-
tate libera, hujusque desiderio insatiabili, probata dari potest.

* Vir insignis & Eruditione præstantissimus PHILIPPVS MOR-
NÆVS Nobilis Gallus, in elegantissimo Tractatu *De Veritate Re-
ligionis Christianæ Cap. XVII.* ex natura & indole animæ huma-
næ ea qua fieri potuit eruditione demonstravit, finem homini's sum-
mam esse redditum ad Summum Bonum, cui tractationi etiam Cap.
XIX. consensum priscorum sapientum, quorum hac in re non con-
temnenda Autoritas, ex Historia philosophica desumptum, addit, ita,
ut de veritate hujus Doctrinæ nullus dubitationi locus sit relictus.

§. II.

Ad hunc finem sibi definitum a supremo Numine, ut eo melius
homo pervenire possit, ob naturæ prins possibilem, jam actualiem
corruptionem, directione indiget, cuius beneficio ad suum ducatur
finem. Quam ob causam Deus homini regulas & leges, per cogita-
tiones rationabiles, ex sua & aliarum rerum conditione & natura de-
ducendas, prescriptis, quæ hominem edocere & informare possunt,
quænam actiones cum hoc fine sint convenientes, ad ejus consequi-
tionem faciant, & bonæ sint, & quæ eidem repugnant, ab eo abdu-
cant, & malæ * sint. Per has igitur leges Deus hominem dirigit ad
suum finem. Qui enim vult finem vult etiam media ad eum ducen-
tia. Et hæ regulæ recte Juri naturalis, vel legum naturalium no-
mine veniunt.

* Si huic rationi attendisset EPICURUS, procul dubio Deum actio-
num humanarum habere curam, malasque non impeditre minime
negarurus fuisset, adeoque nec ipsam divinam providentiam.
LACTANTIUS libro *De Ira Dei* Cap. XIII. hoc argumentum E-
picuri proponit. *Si est providentia Divina; aque illa versabitur
circa mala ac circa bona. Jam si circa mala versatur, utique aut
Deus mala illa vult tollere & non potest; aut potest & non vult; Aut
neque potest neque vult; aut vult & potest. Si vult & non potest,
imbecillus Deus erit, id quod in Deum non cadit. Si potest & non
vult, invidus esse videtur, quod iterum a Deo alienum. Si nec vult
nec potest, est invidus & imbecillus, quod etiam est impium, ideoque
ne Deus. Si denique vult & potest, cur non tollit? Et quia non tol-
lit, cur ei providentia tribuitur?* Ethos modo Sphingis ænigmata
dissolvenda proposuisse putat. Sed sumitur ceu evictum quod
adhuc

ad huc probandum erat, & ad ultimum membrum argumenti hujus regeritur, quod utique Deus tollat & impedit actiones malas, quanquam non physice, tamen moraliter per leges diuinias. Si enim physice Deus actiones malas impedire vellet, non cum homine ageret ut cum creatura rationali, sed ut cum bruto & trunco per regulas dirigi nescio.

§. III.

Per solas igitur leges vel regulas easque necessarias, necessario cum fine obtinendo nexus gaudentes, ad consequitionem finis sui duci ac dirigi potuit homo a supremo Nunmine. Nec immerito. Ominus siquidem directio vel per vim & coactionem quandam physicam, vel per normas, que prescribuntur, ut juxta eas agere quis debeat & possit, fieri potest. Directio per coactionem & vim physicam in creaturas intellectu abstractu & Voluntate libera praeditas, nullo modo quadrat, adeoque ad easdem applicari non potest. Alias enim libertas voluntatis frustra homini esset concreata, si ut truncus & bestia, *ixav̄n̄* illa destituta, ad finem suum esset cogendus. Quare per solas normas necessarias, * per quas quis obligatur, homo dirigi potuit ac debuit. Et hanc ob causam, teste HVGONE GRO-TIO Libro I. de J. B. & P. Cap. I. §. XI. Deus in dirigendis actionibus hominum usus est praeceptis generalibus, quia homines ratione gaudent.

* Contra Scepticos, Atheos & alios existentia juris naturalis hoc loco probari potest. Inter veteres philosophos existentiam juris naturalis negasse & Marte ipso pugnaciores contra eam disputasse deprehendimus ARISTIPVM, Socratis discipulum & Secta Cyrenaicæ conditorem, PYRRHONEM, scepticorum principem, & EPICVRVM, nec non de CARNEADE CYRENAEO fertur, quod Romanus ab Atheniensibus legatus missus, copiose de iustitia disputarit, postridie vero contraria disputatione omnia subuerterit, nihilque natura honestum & turpe esse, sed omnia, qua virtus priuata suadeat, honesta esse afferuerit. Celeberrimus B. D. EPHRAIM GERHARD in delineatione juris naturalis *Libro I. Cap. IX.* mitius de his autoribus fert judicium, afferens: *Vtilitas* (est falsum juris naturæ principium,) *que furtæ & nefæ quid non probaret;* *qualem sententiam nemini facilè tribuerim,* licet vulgo autoritate CICERONIS & LACTANTII, eandem tribuant EPICVRO, CARNEADI, & CYRINAICIS, adeoque sententiam his Autoribus

toribus imputatam inter Vlyssēa commenta quasi refert. De EPICVRIO quidem, teste DIOGENE LAERTIO libro X. *Historia in vita illius, constat, eum fuisse tempe- rantiae, aliarumque virtutum studiosissimum; Ex dogmatibus tamē EPICVRI vtique profuit, actionum bonitatem non lege di- uina quadam, sed ex utilitate priuata estimandam esse. Prouiden- tiam siquidem diuinam remouit ab hominum actionibus, ne tran- quillitas animi Numinis timore perturbaretur; & in epistola ad MENOCEAM quandam data, & a DIOGENE LAERTIO l.c. recitata, assertit: Πᾶσα ἐν ἡδονῇ ἀγαθὸς, & πᾶσα μέντοι ἀρετὴ, διὰ τοῦ καὶ & πᾶσαν ἡδονὴν αἰρεμένας ἀλλ᾽ ἔσιν ὅτε πολλας ἡδονὰς ὑπερβάνουεν, ὅταν πλείον ὑμιν τὸ δύσκολες ἐν τῷών ἔπιπται. Omnen volupatem esse bonum, non autem omnem volu- ptiatem esse eligendam, quare non omnem eligimus, sed sepe plerasque transgredimur, (non quia talis appetitus legi diuinæ effet contrarius) sed quia dolor & molestia quandam voluptatem confe- quatur. Ex quibus patet, EPICVRVM pro fundamento moralitatibus solam habuisse utilitatem. De CARNEADE CYRENAEO III. Academias Platonicas conditore refert AELIANVS πονήσεις βιβλίῳ τετράῳ μεθί, quod quidem legatus Romam missus fit, & tanta dicendi grauitate Senatum Romanum perpulerit, ut etiam dicere eum oportuerit: Ἐπειδὴν Αἰλιάοι πρεσβύτεροιας, αὐτῆς πείσοντας, ἀλλὰ γάρ τις θαυμασμένες ἡμᾶς δόσαντες ὅτα Θέλεσσιν. Misérunt Atheniensis legatos, non ut nos persuaderent, sed qui nos facere cogerent, quod ipsis collibitum esset. CARNEADEM autem ita de justitia disputasse, vt eam euenterit, nec AELIA- NVS, nec DIÖGENES LAERTIVS mentionem facit. Verum enim vero, quum ex SENECA, aliisque autoribus constet, eum scepticismi esse reum, dixit enim nulla existere criteria, quorum beneficio verum a falso discernere possemus, iustitiam naturalem eum vtique in dubium vocare, & omnia ex utilitate deduxisse, appetat. Vid. contra hunc LACTANTIVS diuinarum Institu- tio- num libro V. Cap. XIV. & HVGO GROTIUS de I. B. & P. in pro- legomenis. Nec rectius ARISTIPPVS Sechta Cyrenaicæ fundator excusatur, De hoc enim certiores nos facit ipse DIÖGENES LA- ERTIVS libro II. de vitiis & dogmatibus philosophorum, eum fuisse hominem vanissimum, & non solum voluntatem corporis pro summo habuisse bono, sed & docuisse: Μηδε τε εἴται φύσει διναγω.*

δικαιον, ου καλον, ου αστιχειον, ου λαλα νομιωνη τεθει, ο μεντοι σπουδαιος εδεν αποτον πρεξη, δια τας επινευσινας ζητιας και δοξας.
Nihil natura honestum esse, cut iustum, aut turpe, sed consuetudine ac lege, scil. humana, virunt ame bonum nihil agere perperam, ob imminentia damna, opinionesque sinistras evitandas. Quae profecta sententia pestis quavis est pestilentior. Idem de PYRRHONE l. c. asseritur. Ex quibus colligi licet, hos philosophos vtique existentiam legum naturalium, alias sole meridiano evidentiorem negasse. Eos autem Autores, qui Jus naturale ex studio Societatis, vel ex Socialitate deriuant, cum his autoribus facere, asserere cum quibusdam non ausim. Hi enim autores non solam societatis custodiā pro juris natura principio habent, quatenus est vi illis, hoc enim ne per somnum quidem viris istis doctis in mentem venit, sed fatentur custodiā societatis a Deo esse injunctam. Innocentium horum virorum defensionē vide in *Analectis Historiae philosophicae* JOH. FRANCISCI BVDDEI Diff. VII. de Scepticismo Morali: Sed hoc *oīc cū mægōw.* Est vero & hoc addendum, magnum impostorem & Atheum BENEDICTVM de SPINOZA ī Tr. Theologico Politico Cap. XVI. p. 175. sententiam suam de lege naturali hoc modo proponere: *Per Jus & institutum naturae nihil aliud intelligo, quam regulas naturae unius cuiusque individuius, secundum quod naturaliter determinatur & concipiatur ad certo modo existendum & operandū, e. g. pisces naturaliter determinantur ad natandum, magni ad minores comedendos &c.* Profectus qualis Vir, talis Oratio. Ex solo exemplo citato conceptum hujus hominis dijudicare licet; illud scilicet esse iustum, quod vauum quodque individuum vult: e. g. si pisces major minorem vult devorare, quod idem est ad hoc, si latro robustus virum innocenter vult occidere. Celeberrimus anglicanus philosophus THOMAS HOBESIVS in famosissimo Tr. de Cise eandem cum SPINOZA tundit incudem. Videtur equidem melior SPINOZA, sed a cane muto, & aqua silente caue, fundamentum enim ejas, utilitas quacunque idem vult, quod Systema Spinozianum, & omnium quo-
 vix similius quam horum virorum sententiae. Scilicet illud est licitum, quod est vtile, vis, & potes. Haud imminerto igitur refutatus a RICHARDO CVMBERLAND in Tr. de Lege naturae. Verum quam lubrica, quamque levia sint, quae hunc in modum a citatis autoribus differuntur, nemo non videt, qui modo animum aduer-

aduertere cupit. Cum enim necessitas directionis in homine ad finem infinitum, ob naturae humanae corruptionem, clara sit & evidens, existentia etiam legum naturalium in confessio sit, oporet, directio enim in homine aliter quam per leges fieri nequit. Contra ejusmodi autores optime disputant B. Illustris SAMVEL de PVFFENDORF de J. N. & G. Libro II. Cap. III. §. X. & XI. nec non celeberrimus Theologus & Philosopher Jenensis. D. JOH. FRANC. BVDDEVS in Diff. de Scepticismo Morali, quæ in Anal. Histor. Philos. VII. est.

§. IV.

Legum igitur harum naturalium, quemadmodum vniuersitatem philosophiarum, origo est a Deo; adeoque sunt promulgatio Voluntatis diuinæ, juxta quam homo actiones suas componere debet. Quemadmodum autem omnis legum promulgatio duplaci modo fieri potest, vel per Verba, vel per Res; Eadem quoque ratione Deus Voluntatem suam hominibus duplaci modo pronulgauit, primo per verba & scripta, deinde per naturam rerum earundemque fines. * Illo modo Deus Voluntatem suam ratione quadam supernaturali reuelauit, scilicet quando Spiritus Sanctus per viros Θεοπνέουσας loquutus est, conceputus diuinos supernaturaleriter in illis formauit, & per verba eosdem literarum monumentis consignari curauit. Quæ Voluntas diuina, supernaturaliter per verba promulgata, legum posituarum, vel vniuersalium, vel particularium, nomine venit.

* De duplaci hac promulgatione, altera naturali, altera supernaturali, doctrinam agit Vir magni Ingenii & doctrinæ JOH. JACOBVS LEHMANN, in vniuersitate Salana P. P. O. in doctrinissimo Tractatu: *Trutina, vulgo Bilanx Europe norma Belli pacisque habet unus a summis Imperantibus habita Cap. II. §. XI.-XVI.*

§. V.

Voluntatis diuinæ pronulgatio omnibus hominibus præterea per res & harum fines est concessa; Scilicet homo suam & aliarum rerum naturam considerans, ex harum conditione fines certissime colligere potest, quid Deus sibi præcipiat, & ad quid se obliget. Dei enim intentio quæ a nobis expleri debet, & finis rerum, quod rem ipsam sunt unum idemque. Eum autem in finem homo prædictus est intellectu abstractu, vt possit concludere & intelligere, quid justum? quid injustum? Prior promulgatio Voluntatis Diuinæ, quia continetur in principio quadam supernaturali, ideo ad Philosophiam hujusque

jusque disciplinas non spectat: Hæc vero posterior, quia ex principio naturali cognoscitur, utique ad Philosophiam, & in specie ad jus naturale pertinet; siquidem quilibet mortalium, naturaliter, per discursum & argumentationem rationis hanc promulgationem voluntatis diuinæ cognoscere potest, * ita ut in legibus naturalibus non detur ignorantia invincibilis.

* Legum naturalium promulgationem alias equidem philosophi, in sana ratione factam esse, putant. Vid. HORNEII *philos. moral.* libro IV. Cap. II. §. VI. & BALTHASARIS MEISNERI *Philosophia Sobria Parte I. Sect. II. Qu. IV.* afferentes, ex dictamine recte rationis patre leges naturales. Sed vox hæc rationis duplice sensu venire potest, vel enim denotat rationem *objectionem*, vel *subjectivam*. *Ratio objectione* talis sunt axiomata philosophica, que per discursum ex rerum proprietatibus derivantur, & horum principiū cognoscendi & fundamentum sunt res ipse. Quanquam autem ex ejusmodi principiis jus naturale deduci possit, tamen jus naturale non ex rebus desumitur, siquidem principia hæc ex natura rerum fluntur. *Ratio subjectivae* talis est ipse intellectus humanus, seu facultas ratiocinandi naturalis: Hæc autem, leges naturales & principia practica, sibi non habet connata, per modum habitus cuiusdam connati, cognitione actuali, aut specie expressa, ante vnum rationis, sed potentia proxima gaudet hæc intelligendi, ut apprehensio termini statim intellectus veritas propositionis infit. vid. B. JOH. MVSAEI *Introductio in Theologiam* Cap. II. §. XIX. & Celebrerr. D. BVDDEI *Institut. Theol. Moral. P. II. Cap. II. §. V.* Quare affirmari non potest quod in ratione Leges naturales sint promulgatae. Adeoque quemadmodum in vniuersitate Philosophia non ratio, sed res principiū cognoscendi incomplexum sunt; ita & promulgatio juris naturalis non in ratione sed natura & fine rerum recte collocatur. Operæ pretium facturum esse puto, qui hac de re conferat Illustris CHRISTIANI THOMASI Viri rarae Eruditio *Institutiones Jurispr. Diu. libro I. Cap. II. §. 66-69. cum notis adjectis.*

S. VI.

Juris naturalis cognitione, ut eo felicius procedat, obseruandum, duplice sensu illud ab Autoribus sumi, *concretive* scilicet & *abstractive*. Jus nature concretine tale, est disciplina vel systema, in quo methodice Leges naturales disponuntur, ut ex lege quadam generali, omnes leges

leges particulares, methodo plane naturali deriuentur. Jus naturæ abstractie tale, denotat ipsas leges naturales, & voluntatem Dei per res promulgatam.

S. VII.

Ex ambiguo autem verborum usu, cum magna sepe oriatur confusio, ex recta autem & genuina definitione, firmissimæ procedant demonstrationes, nostrarum etiam erit partium, eum, quem de jure naturæ habemus conceptum, bona definitio proponere. Jus^{*} naturæ igitur abstractie tale, est complexus Legum diuinarum omnium, per naturam & finem rerum promulgatarum. Jus naturæ autem concretue tale, cum σχέσεω & habitum ad alias disciplinas philosophicas habeat, probe ab iisdem discernendum, & tale objectum illi assignandum, circa quod proprie & immediate versari debet. Cum autem omnes disciplinae philosophicae, facultates animæ, intellectum & Voluntatem, vel præparent & emendent, vel intellectum instruant, vel voluntate dirigant ad suum finem, quæ directio sit aut per normas necessarias, seu leges, aut per normas minus necessarias, seu consilia; statim apparent, quod ad disciplinam juris naturalis nullum aliud pertineat objectum materialem, quam Voluntas dirigenda ad suum finem, formale autem quatuor per leges & normas necessarias est diregenda. Quam ob causam disciplinam juris naturalis definitio, quod sit Disciplina philosophia practica, dirigens hominem vel Voluntatem humanam ad suum finem, cum primarium, ad quem a Deo est factus, tum eidem fines subordinatos, per normas necessarias, in fine hominis & rerum promulgatas.^{**}

* De juris diversa significatio, quando modo denotat actionis attributum, modo qualitatem personæ moralem, modo regulam vel legem, quæ significatio hujus loci est, vid. HVGO GROTIUS de J. B. & P. Libro I. Cap. I. §. III.-VIII.

** Aliorum autorum definitions ut h. l. afferam, necessarium non duco. Observandum tamen, Imperatorem JVSTINIANVM Libro I. Inf. Cap. II. dicere: *Jus naturæ est quod natura omnia animalia docuit.* Sed ex iis, quæ hanc definitionem consequuntur, patet, Imperatori potius sermonem de instinctu naturali, quam de jure esse. Nullum enim jus in animalia bruta cadit, per leges siquidem dirigunt nequeunt, quia non habent intellectum abstractum, & voluntatem liberam. HVGO GROTIUS de J. B. & P. Libro I. Cap. I. §. XI. recte dicit: *Juris nemo capax est, nisi natura præ-*

præceptis utens generalibus; & paulo post: *Quod si brutis animalibus iustitia tribuitur, id sit improprie, ex quadam umbra & vestigationis.* An vero actus ipse, de quo jus naturæ constituit, sit nobis communis cum aliis animalibus, ut prolis educatio, an nobis proprius, ut cultus Dei, ad juris ipsam naturam nihil refert. Definitionem hanc JVSTINIANI doctissime, juxta sensum philosophiæ Stoicæ, examinavit & refutauit celeberrimus JOH. FRANCISCUS BVDDEVS in *Anal. Hist. Phil. Diff. I. de erroribus Stoicorum §. VI. seq.* & celeberr. SCHILTER in *manuductione philosophia moralis ad jurisprudentiam.*

S. VIII.

Definitionis nostræ genus recte constituitur in disciplina philosophia practicæ dirigente voluntatem humanam. Disciplinæ enim philosophicæ omnes, sunt vel *preparatoria*, vel *instructiua* seu *theoretica*, vel *practica* seu *directiua*. Preparatoriæ preparant & emendant intellectum, qualis est *Logica*, vel voluntatem, ut *Ethica*. *Instructiua*, qua intellectum veritatis theoreticis instruunt, si versantur circa *qualitates* rerum physicarum, est *physica*, strictè sic dicta, si circa *quantitates*, est *mathesis*, si circa *Dicum*, quatenus est causa efficiens omnium rerum, ut in suo fieri ab eo dependant, vel *Spiritus*, est *Theologia naturalis*, seu *metaphysica*. Disciplinæ directiua, dirigunt voluntatem vel per *leges*, * vel per *confilia*, illo respectu oritur disciplina *juris naturalis*, hoc respectu *prudentia Politica*. ** Quam ob causam, jus naturæ vnum habet genus & objectum materiale cum *Politica*. Differentiam autem specificam juris naturalis merito in eo constituimus, quod Voluntatem ad suum finem dirigit per leges, quod enim necessariam cum fine habet connexionem, illud legis est. *Leges autem est decretum imperantis, quo quis subiectum sibi obligat ad aliquid faciendum vel omittendum.* Prudentia autem politica voluntatem ad finem dirigit per *confilia*, quod enim contingentem cum fine habet connexionem, illud est confilii; hoc autem est *regula de fine commodius*, & pro arbitrio agentis *sive obligatione*, *sive interna sive externa statuatur, obtinendo.*

* De Juris naturalis & Ethices differentiâ multa disputantur. DIOGENES LAERTIVS, in *proemio ad librum suum, de vita & gymnatis philosophorum*, totius philosophiæ tres partes esse assertit: *Partes philosophie tres sunt. Physica, cuius proprium est de mundo, & de iis quæ sunt in mundo differe: Ethica quæ de vita tran-*

*Etat, & de iis quæ ad nos pertinent: Et Dialectica, cuius proprium est ambarum, adferre rationes. Nec non libro VII. in vita ZENO-NIS CITTIAEI, & libro X. in vita EPICVRI, quod ille simili ratione philosophiam in tres partes, Logicam, Physicam, & Ethicam diuiserit. Ex quibus patet, quod veteres philosophi in Ethica, & Leges naturales, & Politicam, & Ethicam stricte sic dictam, tractauerint. Peripathetici autem, cum Ethicam a Politica discernerent, in illa omnem de moribus doctrinam, in hac autem de republica tractarunt. Cum autem meliori jure Philosophiam Practicam tribus distinctis disciplinis recentiores philosophi Ecclesiici absoluant, optime jus naturale ab Ethica sic discernendum est. Ethica verlatur circa solam Voluntatis emendationem & preparationem, ut eam aptam reddat, juxta præcepta juris naturalis, & prudentia Politicæ, actiones suas componendi. Quam ob causam in ea nulla tractantur officia. Jus naturale autem, regulas & leges præserbit, juxta quas homo vivere debet, ita quidem, ut de omnibus actionum generibus, ad quas homo est obligatus, præcipiat, vid. Celeberr. JOH. JACOB. LEHMANNI. *Neueste und nützlichste Art, die sogenannte Moral gründlich zu lernen, und auszuüben. Cap. II. Tr. II. præsentim §. 44.* Quod autem Jus naturæ & Ethica sepe confundantur a quibusdam, forsitan ex hacten ratione venit, quia preparatio & emendatio Voluntatis, ratione obligacionis quam habet, partem officiorum hominis erga se ipsum constituit.*

** Hanc Politices & Juris naturalis differentiam, optime ostendunt Viri Celeberr., JOH. JACOB. SYRBIVS, in Alma Academia Salana P. P. O. meritissimus, in *Synopsi Philos. prima §. CLXIV.*, & laudatus JOH. JACOB LEHMANN, in doctissimo Tr. Germanico, *Anleitung die Staats-Klugheit recht zu lernen und auszuüben. Cap. II. §. 6. seq.*

§. IX.

Actiones humanæ igitur, circa quas Jus naturæ versatur, cum per leges sint dirigendæ, vtique patet, in jure naturali Leges contineri proprie sic dictas, * quæ tam obligationem internam, quam exter- nam, a Deo fibi inditam, vacuum penæ, harum Legum transgresso- ribus infligenda, habent secum conjunctam. Legis forma autem est obligatio, ** hæc enim per unionem sui cum decreto imperantis, dat legi esse legis. Leges enim a reliquis imperantium decretis per solam

solam obligationem discerauntur. Per obligationem autem non intelligimus solam obligationem internam, quando quis in conscientia de bonitate rei est conuidctus, vt per hanc solam sine respectu ad paenam obligetur, sed & externam, quae iis, qui legibus conuenienter non vivunt, paenam minatur. Quare etiam obligatio effectum suum consequitur, partim per commoda legum, partim per peccas adjectas.

* Illustris CHRISTIANVS THOMASIVS fundamentis J. N. & Genitum Libro I. Cap. V. Et Observacionibus Hallensib. Tomo VI. Observat. XXVII. Leges naturales potius consilia paterna, quam leges propriæ sic dictas esse vult, ita tamen, vi. Vir Illustris sententiam suam hac de re ita exposat in Fundamentis Juris naturæ & Gentium, Libro I. Cap. I. a §. L. usque ad LXXIX. Scilicet consilium a lege ita discerit, vt Lex seu Imperium habeat obligationem tantum externam, & paenam, non naturaliter & necessario concomitantem actiones hominismalas, sed arbitriarum, i. e. ab hominibus inuentam. Consilio autem tribuit obligationem, quæ oritur ex conscientia periculi naturalis, quam & Nobilissimam speciem obligationis appellat, & consequens malum, naturali vinculo cum mala actione connexum, non autem arbitriarium, ex neglegenti consilii resultans. Ut ego vero in hanc sententiam secessionem faciam, a me impetrare nequeo. Causa hujus systematis hæc est, prout ex Observat. Hallensib. Tom. VI. Obsr. XXVII. haud obscure colligi licet, quod scilicet Celeberr. THOMASIVS ex natura & indole legis humanae argumentatus sit ad leges diuinæ, vid. Fundamenta J. N. & G. Libro I. Cap. V. §. II. III. IV. XXV. XXVI. cumque & ratione obligationis, & ratione promulgationis, & ratione paenæ, summannum in his legibus obseruauerit discrepantiam, factum, vt prorsus negaret, leges diuinæ esse leges, sed tantum esse monita paterna, & sic negat, quod leges diuinæ & humanae, sint species verniuocæ. Sententiam suam his confirmat argumentis. ll. cc. 1) Quia de Deo nil imperfecti prædicari possit, leges autem ferre esse imperfectionis. 2) Quia ratio fibi relicta, Deus ut legislatorem concipere nequeat, sed tantum vt patrem benignum. Sed 1) negatur leges ferre esse imperfectionem. Alia vtique est ratio legum diuinarum, alia humanarum, haec feruntur ab hominibus imperfectis, illæ a rege regum perfectissimo, quare non sequitur, Deus est legislator perfectissimus ergo non est legislator. Τερατος γηματα ex hoc Systemate sequentia & quæ ita sunt connexa vt separari a se invicem

ticem nequeant, jam taceo. Accedit, quod Deus habeat omnia re-
quisita legislatoris in gradu eminentissimo, tam justas causas impe-
randi, quam potentiam irresistibilem. Præterea ipse sanctissimus
Apostolus Jacobus, in Epistola sua Cap. IV, 12. Deum expressè
vocat eternum appellat. Et quanquam in legibus diuinis poenæ, alio
modo infliguntur impiis, quam in legibus humanis, tamen poenæ
diuinae sunt poenæ proprie tales, quia poena diuina est malum passio-
nis, quod infligitur a superiori ob malum actionis. Quia igitur
in legibus diuinis adest poena, adsit etiam oportet non solum obliga-
tio interna, sed & externa. Est vero 2) obseruandum, quanquam
ratio Deum cognoscat ut benignissimum patrem, tamen bonitas in
Deo a justitia rectoria separari nequit, benignitas enim justitiam
non tollit. Pro nostra denique sententia militat quod sacræ pagi-
næ ostendant exempla, vbi Deus illos, qui peccata contra Ius natu-
rae commiserunt, vt legislator & vindicta iustus, poena arbitraria
(qua non naturaliter ista peccata consequi potuit) afficerit, prout o-
fendit diluvium, Sodomorum excidium, Onanis mors immatura.
Nec est nexus inter peccata hujus, & poenam futuri seculi, qua
tamen certissime impii afficiuntur.

* Obligatio a celeberrimo JOH. FRANCISCO BVDEO, in *Phil. Pract. P. II. Cap. II. §. V.* ita definitur. *Obligatio est qualitas morali passua, per quam quis prestat vel admittere quid tenetur, necessitate morali.* Contentus illustris THOMASIVS *Inst. Jurispr. Diu. Libro I. Cap. I. §. 143.* *Obligatio est qualitas moralis passua, persona a lege imposta, ejus libertatem restringens, ad praestandum, vel ad- mittendum aliquid.* Bona est definitio si sumitur pro ea, qua ha-
ret in subditio. RICHARDVS CVMBERLAND de *Lege naturæ Cap. V. §. XXVIII.* obligationem sic definit: *Obligatio est actus le- gislatoris, quo actiones legi sue conformes, quibus Lex fertur ne- cessarias esse indicat.* Etiam bene se habet definitio, quando sumi-
tur pro ea qualitate, qua est in imperante. PVFFENDORFIVS
illustris de J. N. & G. Libro I. Cap. VI. §. V. vi utroque respectu obli-
gationem exprimat & definit, hunc de ea habet conceptum; quod
fit *qualitas moralis operativa, qua quis prestat vel pati aliquid te- neretur.* Quae definitio suo modo etiam recte se habet: Quo modo
autem obligatio a coactione differat vid. PVFFENDORFIVS. l.c.

§. X.

In hac disciplina Juris naturalis, vt eo felicior demonstratio,
quem

quemadmodum in aliis disciplinis Philosophicis, locum habere queat; et adhuc usi sunt methodo eruditii, ut Legem quandam generalem fundamenti loco ponant, ex qua, seu ex principio cognoscendi complexo certo & vero, conclusiones certissimas, more mathematicorum synthetice possint deducere. * Principium hoc juris naturalis cognoscendi complexum, est *Propositio Philosophica, generalis, & universalis, vera evidens, adaequata, in suo genere prima, ex qua omnes conclusiones practice, obligationem in se continent, nexus necessario & evidente deduci possunt.* Ex hac definitione principii hujus attributa sua sponte promanant.

* Quia methodo veteres sapientes, moralia tradendi fuerint usi, hujus loci ut recenseam non est. Historia Philosophica varias Methodos philosophorum exhibet, quorunq; alii per *Fabulas*, alii per *Dialogos*, per *Satyras*, per *Paegeiæ*, *Præcepta*, *Aporismos*, ac *Gnomas*, *Adagia*, *Symbola*, *Emblemata*, *Hieroglyphica*, *Inscriptiones*, *Paradigmata*, moralia edocuerunt. De quibus omnibus vide *Celerrimum GEORGII PASCHII Tr. elegantissimum de variis modis tradendi moralia.*

§. XL.

Principium igitur hoc, si in illud accuratius inquirere velimus, ex principio supernaturali desumi nequamquam potest; supernatura-
lia enim & spiritualia philosophiz fines excedunt. Omnes quoque
leges particulares sub se comprehendere debet, vt nec in defectu, nec
in excessu peccet, i. e. nec plures, nec pauciores propositiones, quam
morales, ex eo deduci possint. Quin autem multi adhuc, vel in ad-
zequatione, vel evidenter hujus principii constituta, errauerint,
pauci vero in veritate; nos rem recte traducturos speramus, si in hujus
principii complexi investigatione, primam eoram ponamus, in
principii incomplexi indagatione, in quo omnes leges naturales con-
tinentur, ex quo deinde principium complexum verum, primum,
evidens, per modum propositionis facile sequetur. Principium au-
tem incomplexum omnium Legum naturalium, est omnium rerum
finis, qui ex natura & indole objecti, hujusque circumstantiis, est co-
gnoscendus. * In quem finem enim Deus aliquid fecit, ad eum finem
vt etiam mortales aspirent, maxime vult, qui vero per rationem, ex
natura rerum, ab omnibus hominibus potest cognosci.

* Conferatur h. l. RICHARDVS CVMBERLAND, *de Legibus na-*
B 3 *1714,*

turae, Prolegomen. §. XXX. & Cap. I. de natura rerum, nec non Caput II. de natura humana & recta ratione.

§. XII.

Cognito igitur principio incomplexo, etiam principium complexum juris naturalis inde derivari poterit. Ea enim philosophia indoles est & ratio, ut omnia ex ipsis cognoscantur rebus. Principium igitur juris naturalis, quod seu propriatio ex priore deducitur, hoc est. Quicquid cum fine rerum conuenit, illud est faciendum, & quod eidem repugnat, est omittendum. * Finis autem hic ex natura objecti est per noscendum.

* Aliorum aitorum principia, & eos, qui hoc principium jam dum cognoverunt, vide collecta in EPHRAIMI GERHARDI delineatione Juris naturae Libro I. Cap. IX. §. 56-87. & IMMANVELIS PROELEI Differt. de Origine diuersorum Juris naturae principiorum. Lipsia 1703. habita, quorunq; dijudicationem Lectoris benevoli judicio relinquimus. Celeberrimus D. JOH. ANDREAS RVDIGER, Philosophia Synthetica Libro II. Tractatu II. Cap. II. axiome 4. de principio nostrlo ita sentit: *Voluntas diuina, principiu[m] est generalis totius disciplinae moralis, neutiquam Juris naturae, & de Intentione seu fine Dei idem sentiendum.* Sed Vir Celeberrimus pro Systematis fui ratione illorum partibus accedit, qui ejusmodi tantum quartum principium, ex quo sola officia erga alios derivare queant, cum tamen iuxta rectam disciplinarum dispositiōnem, solum jus naturae officia tractet. Præterea nec concedet quisquam, quod finis, quem Deus rebus concreauit, sit principium totius disciplinae moralis, finis enim obligat, & per consequens ad solum jus naturae pertinet. Politices principium est: *Fac ea, que circumstantia externae & accidentales suadent.* Ethica stricte sic dicta non pertinet ad philosophiam moralem, sed ad preparatoriam, quod si autem ad philosophiam moralem eam velim referre, tamen finis non erit principium Ethics, sed hoc est principium Ethics. *Fac ea, que faciunt ad emendandam voluntatem.* Ergo finis rerum cum obligatione consideratus, ad solum pertinet Jus naturae, & non ad uniuersam philosophiam moralem.

§. XIII.

Principium hoc est *verum*, quia nititur veritate Dei reuelantis; est *adiquatum*, ex hoc enim omnes leges particulares Juris naturae possunt derivari, est etiam *primum*, & *philosophicum*. Quod si de equidentia

dentia dubium moneatur, scilicet rerum finem non semper nobis esse cognitum, adeoque majore Platonis numeris obscuritate hoc principium laborare, cogitandum, hanc obscuritatem sepe fingi, & in multis rebus simulari, ubi non est. Deus enim finem objecti, quem ipse in eo intendit, obscurum esse non voluit, sed ita eum adaptauit, ut ab hominibus omnibus possit cognosci. Eum enim in finem homines gaudent facultate cognoscendi, utres & objecta perserutari, & voluntatis diuinæ decreta possint inuestigare, si autem ea sit ratio rei, ut ejus finis prorsus cognosci nequeat, concludi inde potest, quod in ejusmodi casibus Deus nullas Leges tulerit, quodque in tali casu nulla Legge speciali homo sit obligatus.

§. XIV.

Quum igitur in Legum naturalium disciplina detur principium cognoscendi certum, utique in hac conclusiones certe esse debent. Ex principio siquidem certo, recte applicato, conclusiones etiam certe & demonstratiue prouenant oportet. *Demonstratio enim est ratiocinatio, certis & claris principiis innixa; sive probatio affectionis de subiecto aliquo per principia certa.* Quæ attributa demonstracionis, cum quadrent in disciplinam moralem, scientia certa in ea locum concedendum esse, patet. Verum enim vero, si in moralitate actionum probabilitas esset recipienda, quantis periculis, quantis questo erroribus, in actionibus nostris dirigendis essemus obnoxii? Quæ sententia fundamenta moralia labefactat, & tantum non penitus euertit.

* Multi demonstrationem & cognitionem certam ex disciplinis moralibus exsirpatam voluerunt, vt patet ex PVFFENDORFIO *Libro I. de J. N. & G. Cap. II. §. II.* Objiciunt, in demonstratione & scientia requiri subiectum necessarium & æternum, in moralibus autem disciplinis esse subiectum tantum contingens. Sed necessario autem non requiritur, vt in demonstratione adsit subiectum necessarium ratione existentia, & in conclusione prædicato contra disiectum, sed sufficit, si adsit subiectum necessarium ratione prædicationis, quod cum prædicato tam necessarium habet nexus, vt subiectum non inueniatur sine illo prædicato, & ex hoc nexus oritur enunciatio necessaria & certa, vid. ERHARDI WEIGELII *Analyss Aristotelica ex Euclide restituta*, & JOH. FRANCISCI BVD. DEI *El. Phil. Inst. P. I. Cap. III. §. XX.* HVJO GROTIUS *de J. B. & P. Libro II. Cap. XXVI. §. I ARISTOTELEM sequens*, qui *Libro*

bro Ethicorum I. ad Nicomachum, etiam in moralibus certitudinem negat, probatum it, in moralibus non aequa ac iu mathematicis dari demonstrationes 1) quia in moralibus circumstantiae minime varient rem 2) quia in moralibus in multis detur latitudo, ubi multa accurate definiri nequeant 3) quia darentur actiones mediae inter eas & eas. Quibus ut occurratur dubius obseruandum 1) inde non sequi. Ergo in moralibus certitudo non habet locum: Nam & linea, quae vel minimum a rectitudine discedit, in curvitate degenerat, inde autem in Geometria nil quicquam incertitudinis prouenit. Præterea, in moralibus judicamus de actionibus, juxta principia, positis jam dum circumstantiis. Nec 2) nostra sententia obstat, hoc non est intelligendum de qualitate, sed de quantitate, quando actio cum actione comparatur. Sic actio actione est laudabilior in relatione, actio autem non est magis vel minus justa, qualitas enim vel conuenientia actionis cum lege consiftit in puncto, quae in abstracto juxta regulas Logicas non recipit magis & minus vid. Laudati JOH. FRANCISCI BVDDEI El. Phil. Pract. P. II. Cap. II. §. XLIX & Celeberrimus VINCENTIVS PLACCIVS doctissimus Tr. de Morali Scientia Augenda Cap. pag. 12. seq. 3) Distinguendum est inter medium participationis, & negationis, illo respectu, quod actio ab extremo justi & injusti participet, ne-gantur actiones medix, hoc modo, quando actio nec est præcepta, nec prohibita, non pertinet ad Jus naturale, in hoc enim confiderantur actiones morales. Adeoque & GROTIUS argumenta ca-dunt, præ ceteris qui hac de re egerunt legendus. B. Illustris de PVFFENDORF Libro II. de J. N. & G. Cap. II. §. IX. X. qui ex in-stituto hac de re differit, nostram sententiam pluribus confirmat, secus sententium rationes profligat.

CAPUT II. DE RECTA APPLICATIONE HVJVS JVRIS NATURALIS.

Σύνοψις Capitis.

- | | |
|---|------------------------------|
| §. I. Omnia hominum est, ut no-titia Legum naturalium ha-beant. | §. II. Applicatio definitur. |
|---|------------------------------|

§.. III. Applicatio est vel doctrina-lis, vel moralis.

§. IV.

- §. IV. & V. Applicatio doctrinæ
sit per subordinationem fi-
niuum.
- §. VI. Fuxta objecta & fines, sub-
ordinatos, tria oriuntur prin-
cipia juris naturæ subordi-
nata.
- §. VII. Leges naturales diuidun-
tur in absolutas & hypotheti-
cas.
- §. VIII. Leges absolutæ & hypothet-
icas in officiis erga Deum.
- §. IX. X. XI. & XII. Nos ipsos & a-
lios.
- §. XIII. Leges naturales propter
applicationem moralē latas
eſe, probatur.
- §. XIV. Ut homo leges applicare
posse, requiritur Voluntatis li-
bertas, & intellectus abſtracti-
us.
- §. XV. & XVI. Libertas Volunta-
tis definitur & explicatur.
- §. XVII. Dari libertatem, proba-
tur.
- §. XVIII. In applicatione tam lex
quam actio debet esse cognita.
- §. XIX. XX. De applicatione ad
conscientiam relata.
- §. XXI. & XXII. Applicatio non so-
lum ad actiones externas, sed &
internas fieri debet.
- §. XXIII. & XXIV. Qua ratione
circumstantiae actionum in ap-
plicatione sint estimanda?
- §. XXV. De Jure & favore neces-
sitatis.
- §. XXVI. In officiis erga se ipsum,
& alios hypotheticis, respicien-
da eſt persone conditio.
- §. XXVII. Qualitates quas actio-
nes ex relatione ad legem sorti-
untur, bonitas scilicet iustitia &
bonitas.
- §. XXVIII. Iustitia diuisio.
- §. XXIX. Actio iusta & injuria.
- §. XXX. Impedimenta applicatio-
nis recensentur.
- §. XXXI. Conclusio.

S. I.

Legum naturalium notitia quilibet, pro status sui ratione stu-
dere debere, certum quam quod certissimum est. Hac enim
deficiente notitia, nemo scit, qua ratione se gerere debeat erga
Deum, se ipsum, & alios. Et quomodo officiorum, ad quae
præstanda est obligatus, quis rationem habere poterit, nisi sciat quid
prohibeat Lex, quidque prohibeat? Ea enim anima humana est indo-
lues, vt si intellectus vel falsa sciat, vel ignorantia quadam sit obnu-
bilatus, voluntas etiam vel falsa faciat, * vel ea, quæ lex ab eo po-
nulat, prorsus omittat, atque in peccata præcepserat. Peccatum
autem ex ignorantia vel errore vincibili profectum sequitur pena,
quam ut homo vitet, utique eo niti debet, vt recte de legibus naturali-
bus

bus informetur, informatus autem, actiones suas adeasdem compo-
nat. Ad hanc notitiam mortales eo melius peruenire posse puto, quo
clariores & evidenteres haec leges sunt cognitu, vt a quoilibet quam fa-
cillime intelligi queant. Quod autem haec leges naturales, a multis non
dum satis sunt cognitae, & obscurae ad huc videantur, neglectum hu-
jus disciplinae in culpa esse puto, id enim quod negligitur non colitur,
& quod non colitur contemnitur.

* Egregie hoc ostendit celeberrimus, JOH. FRANCISCVS BVD-
DVS in oratione de pietatis & veritatis nexus necessario, quæ in
Primitiis Jenensibus prima est.

§. II.

Sola autem notitia legis naturalis nequaquam homini sufficit ad
suum finem, sed legitimam hujus applicationem ad actiones accede-
re oportet. Hunc enim in finem Ius naturæ a Deo est latum, vt jux-
ta hujus præscriptum homines vivant, normasque has ad actiones
suas applicent & juxta illarum sensum recte dirigant. Applicatione au-
tem hæc, est relatio actionum humanarum ad leges, & legum ad actiones,
vt certe inde cognoscatur, quid præceptum sit vel prohibutum?
convenientia vel aberratio actionum a lege habeatur perspecta, actionesque
suas ad earum normam homo dirigat. Relatio autem est talis rei
consideratio, quæ nos deducit ad considerationem alias rei.

§. III.

Applicationis hujus duas, ordinis causa, possunt constitui classes
& species, altera scilicet doctrinalis, altera moralis. Illa talis est re-
latio actionum & legum, vt omnes actiones hominum, quæ a voluntate
libera dependent, pariter ac leges naturales, ad certas referantur
classe, & in systemate tractentur ut ex primo juris naturalis princi-
pio, earundem moralitas probetur. Hac, est ejusmodi relatio actionum
ad leges, quæ actiones secundum ipsas normas practice diriguntur.*
In Jure naturæ enim primo omnium hominum fines, finiumque sub-
ordinatio constituenda: tum vero quid ad singulos fines necessarium
sit, inuestigandum est & percipiendum.

Hanc speciem in duas classes subdividere possem, applicatio
enim normæ ad actiones, sit vel a tertio, quando scilicet tertius
hominem pro autore actionis judicat, & autorem vel pena vel
pœ-

premio dignum censem, quæ normæ applicatio imputationis nomine venit, prout de imputatione sub titulo applicationis amplissime egerunt Viri Celeberrimi Illustris CHRISTIANVS THOMASIVS in Fundamentis *Juris naturæ & Genitum Libro I. Cap. VII. de norma applicatione & EPHRAIM GERHARD in Delineatione Juris naturæ Cap. X.* De hac specie sermonem nobis non esse, patet ex definitione nostra. Vel applicatio sit a nobis ipsis ad nos ipsos, & de hac in sequentibus nobis sermo erit.

§. IV.

De applicatione doctrinali obseruandum est, hanc recte fieri, si ex fine hominis summo, plures deducantur fines subordinati, qui velut arbor frugifera multos deinde spargunt ramos, ita ut leges naturales ex dispositione finium eluescant quam euidentissime, qua ratione autem juxta finem cuiuslibet objecti gerere se debeat homo, id ipsum ex natura objecti colligere quilibet debet.

§. V.

Quum igitur quilibet homo ex sua natura facile colligere possit, se ad finem infinitum esse factum, cuius finis consequutio in possefitione summi & infiniti boni constitit, haec autem vniione cum Deo & amore erga illum absolutatur; Corollarium hoc nexus necesarior ex fine hominis sequitur, quod Deus sit amandus & colendus.* Ex hoc fine concludetur quilibet sanus potest, ad hunc finem consequendum necessario requiri, ut homo se conferuet, tam ratione corporis quam animi, hunc emendando, illud conseruando, ne in morbos vel aliud vitæ periculum incurrat; Conseruatio autem, ut obtineatur, iterum requirit, vt cum aliis apice viuat homo, & neminem iædat. Conservatiōnē enim homo nequaquam studere potest pro miserrimi status corrupti ratione, nisi ab aliis hominibus, iisdem priuilegiis, quibus ipse ornatus est, gaudentibus, manus illi ferantur auxiliatrices.

* Hoc ipsum quidem philosophia nos docet, mediis autem & viribus, quorum beneficio vel finis hujus ultimi, vel subordinatorum & intermediorum homo particeps fieri possit prorsus est deslita. Quam ob causam via ex philosophia ad reuelationem, media sufficiencia supernaturalia, & ad hunc finem consequendum apta, tradentem, est indaganda: Quam egregie atque docte per rationes philosophicas ostenderunt Viri Celeberrimi VINCENTIVS PLAC-
CIVS de precipuo fructu Philosophiae Moralis Cap. III. JOH. FRAN-
CISCUS BVDDEVS Elem. Phil. Pract. P. I. Cap. VI. §. LVII-LXV.

& JOH. JACOB LEHMANN in *Tractatu supra laudato. Trutina vulgo Bilanx Europea &c. Cap. II. §. XI-XV*

§. VI.

Ex fine igitur unico tres fines, Leges & principia subordinata quam euidentissime deriuantur, quæ sic se habent. *Deum ama & col:* *Te ipsum emenda & conserua:* * *Omnes ama & neminem lede.* ** Actiones per Leges has præceptæ & prohibitæ officiorum nomine insigniuntur; *Officium autem est actio, pro ratione obligationis ad legem naturalem attemperata.* Dantur equidem aliarum rerum fines, quæ sub his finibus & officiorum generibus immediate non continentur; e. g. officia quæ finis brutorum & creaturarum dicitat; mediate tamen ad unam harum classium optime referri possunt.

* Equidem hoc officiorum genus erga se ipsum non satis adæquatum esse, sed sub officiis, vel erga alios, vel erga Deum, jam tum contineri, suspicari coepit Vir de hoc studiorum genere præclare meritus, & ob summam, quam ei impedit diligentiam, in primis commendandus Illustris CHRISTIANVS THOMASIVS *Inst. Jur. Diu. Libro I. Cap. III. §. 76.* Verba ejus sic se habent: *Officia erga se ipsum propriæ non dantur. Nam nemo sibi obligatus esse potest, ergo nec sibi metuere debere officium. Quæ autem ita vocantur officia, revera sunt officia vel erga Deum, vel erga alios homines.* Hec autem non efficient, vt in Viri Illustris transcam casta. Scilicet certa ratione recte hæc sibi constant, si vel maxime admittant ratione obligationis, omnia officia obligationem suam habere a Deo, hic enim est legislator. Quum autem & ratione ordinis nature & doctrinæ, & ratione objecti officia ita disponantur, vt alia obseruanda sint erga Deum, alia erga se ipsum, alia erga alios homines, vtique constat dari officia erga se ipsum, prout laudatus Vir Illustris l. c. *Libro II. Cap. II.* officia hominis erga se ipsum ex instituto tractat. Juxta rationem Viri hujus nec darentur officia erga alios, nec erga res creatas, naturaliter enim homo hominem obligare non potest, & per consequens nullum officium debere. Omnis enim obligatio est a superiore, homines autem naturaliter sunt æquales.

** Jam dudum philosophi Stoici in sua philosophia juxta hæc objecta officia diuiserunt. Sic EPICETEVIS philosophus Stoicus in *Enchiridio suo c. XXVII. ab ANGELO POLITIANO, & deinde HIERONYMO WOLFIO latinitate donato p. m. 22.* dicit: *Omnia officia tuis exercitio, mutuis affectionibus esse metienda, i. e. referri vel*

ad

ad Deum vel se ipsum, vel ad alios. MARCVS VERVS AVRELIVS ANTONINVS IMPERATOR in Tractatu Celeberrimo τῶν εἰς ἑαυτὸν βιβλίων βιβλίῳ 6. §. I. X. dicit: Τεέχε ἐπὶ τὸ σταύρον ἡγεμονικὸν, καὶ τὸ γῆδειον, καὶ τὸ γῆθιον. Τὸ μὲν σταύρον, ἵνα νέῳ δίκαιον αἴσθησθαι τὸ δὲ γῆδειον, ἵνα συμμημονέσθιε τῷ φραγμῷ μέσος εἶ τὸ δὲ γῆθιον, ἵνα ἐπιστήσῃ πότερον ἄγνοιαν καὶ γνόμην καὶ ἀμελογίσην ὅτι συγγένει. Quia, si juxta stylum Antonini vertere vellemus, hunc habebunt sensum: Recurrito ad mentem tuam, (ecce hominis officia erga seipsum) ad universitatem (h. e. Dei juxta mentem Stoicorum) ad cuiusvis (i. e. proximi.) Ad tuam, ut eam exhibeas iustitiam; ad universitatem, ut recorderis cuiusnam pars sit; ad cuiusvis, ut confideres in infuso scilicet deliquerit; cogitesque simul esse tibi cognatum. Prout ipse Autor Editionis Oxoniensis, quae ex Theatro Sheldoniano MDCC IV. prodiit, haec verba veritatem inquit notis suis explicat. Nec obscurae de tribus his officiorum generibus loquitor CICERO patria non minus quam eloquentiae & litterarum parens, Romanaque philosophiae princeps Libro I. Quæstionum Tusculanarum. Philosophia nos primum ad Dei cultum, deinde Ius hominum, tum ad modestiam animique magnitudinem erudiuit.

§. VII.

Sed circa Leges has generales Ius nostrum non subsubdit, sed potius longe lateque se ex pandit, & ex his ceu ramis arboris secundæ multi iterum procedunt surculi. Imo vero alias Leges recto ordine ex objectis nostris derivatur, alia obliquio. Ex igitur Leges, quæ in quantum ex natura & objecto suo absolute procedunt, omnesque homines in omni statu obligant, citra positionem status cuiusdam, Leges naturales absolute tales vocantur. Ex autem, quæ ad finem obtinendum certum supponunt statum, vel quæ impedimentum aliquod remouent, quod obicem ponit, quo minus finem nostrum consequi possumus, vocantur leges naturales hypothetice* tales.

* HVGO GROTIUS de J. B. & P. Libro I. Cap. I. §. X. dicit: Scindum, ius naturæ non de ipsis tantum agere, que circa voluntatem humanaem existunt, sed et de multis, que voluntatis humanae actum consequuntur. Sic de illis quæ nunc sunt in ijsu, voluntas humana introduxit, at eo nunc introducto, nefas est arripere Te inuitio, quod Tui est.

C 3

§. VIII.

Quemadmodum itaque cuiuscunque objecti finis, circa quod aetatio humana versatur, ipsa est Lex, ita etiam modus ac ratio quomodo homo circa finem versari debeat, ex natura & conditione objecti est colligendus. Prout enim objectum est comparatum, ita etiam tractari debet. Hoc ut eo melius intelligatur, modo allegatarum legum exemplo ostendam.

S. IX.

In officiis, quae Lex naturae erga Deum iubet obseruanda, statim videimus, quod alia sint quae absolute in cultu diuino sunt necessaria, alia autem quae tantum ex hypothesi sunt necessaria. Ea quae absolu te sunt obseruanda, facile ex natura Dei poterunt deriuari, quod scilicet ad cultum requiratur cognitio & verus deo sensus, quem & hoc consequitur, ut & praeceptis & legibus, quas tulit, homo se praesertim obedientem. Igitur ad cultum diuinium absolute necessaria est cognitio, Amor, & obedientia. * Cognitionem requirit natura cultus; Deum enim nemo potest colere, nisi adsit sufficiens deo cognitio, ignoti enim nulla cupido. Amorem & preces ** requirit bonitas Dei, & infinita ejus perfectio. Justitia Dei, omnipotentia, & omnimoda hominum ab eo dependentia requirit, vt praeceptis & legibus Dei summi Imperantem morem gerant, omniscientia, vt non solum eum colant externe, sed & interne, & sic porro. Prater haec officia absolute necessaria, dantur etiam quadam quae in cultu diuino ex hypothesi tantum sunt necessaria, scilicet, ut homo propter imbecillitatem humananam etiam tales actus externos in cultu diuino adhibeat, quorum beneficio mens interne ad veram & maiorem erga Deum devotionem excitetur, & per quos actiones internae, ea qua decet pietate, in medium proferantur, vt ex tali exemplo & aliis Deum colere discant, nec non certum deslinetur tempus ad cultum, quo ab aliis negotiis homo in opere hoc sancto non turbetur & impediatur.

* EPICETVS philosophus Stoicus *Enchiridio suo Cap. XXXVIII.* de Religione, Græcis omisssis, ita dicit: *Religionis erga Deos immortales precipuum illud esse facto; rectas de his habere opiniones, ut sentias & esse Deos, & bene recteque administrare universa, parentum esse his, & in omnibus hisque sunt acquiescendum & sequenda ultra, ut qua a mente præstantissima geruntur.* Bene haec si habent religionem absolutum recto de Deo sensu & obsequio. Qualem fenantiam autem Stoici de Deo habuerint, vt vix ac ne vix quideam ab Atheismo

mo Spinoziano liberari queant, ouum ouo enim vix est similius, quam Atheismus Spinozae & Stoicorum, ex probatissimis eorum autoribus doctissime demonstrarunt, Viri ob singularem eruditio- nem Celeberrimi B. JACOBVS THOMASIVS in Diss. de Expositi- one Mundi Stoica, & JOH. FRANCISCVS BVDDEVS in Diss. de Spinozismo ante Spinozam que in Anal. Histor. Philosophica IX. est. Verum Dei cultum in cognitione & obedientia confitere opti- me etiam ostendit. B. JOH. ARNDIVS magnus Theologus & Philosophus in aureo libro de Christianismo vero libro I. Cap. XXI.

** De Amore & facilitate erga Deam sic dicit PLINIVS SECVN- DVS in Panegyrico Trajano dicto p. m. 5. *Animaduerto etiam Deos ipsos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & facilitate letari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum caram intulerit.*

§. X.

Sui ipsius naturam homo considerans, ex fine suo concludere pot- est, totum hominem esse conseruandum, qua ratione autem homo se conseruare debet, ipsa ejus natura illum edocet. Officia igitur ab- solute erga se ipsum obseruanda, sunt cura & conseruatio tam animae, quam corporis, illa quoad intellectum & voluntatem per media hue facientia est emendanda, vt finis sui compos fieri possit; Hoc per ci- bum & potum ita est nutriendum, ne corrumpatur vel tandem pe- reat, & quae reliquæ leges volunt. Statum autem praesentem con- siderans homo, cum ipsis in aliorum commercio viuendum est, sta- tim appetit, illi esse a discendum opificium vel artem, vt vilie so- cietas membrum esse, aliisque pro auxiliis sibi exhibitis alia qua- dam præstare possit officia. Et hac officia sunt hypothetica erga se ipsum.

§. XI.

Cum aliis ita agendum esse, vt societas hominum non turbetur, omnium requirit finis: Qua ratione autem, erga alios se gerere de- beat homo, ex objecto, scilicet natura & indole societatis, & homi- num in societate viventium, debet haurire. Neminem igitur esse lèendum, suum cuique tribuendum, pacta seruanda &c. absoluta est necessitas. Statibus autem ad salutem hominem externam pro- mouendam introductis, sermone scilicet, dominio, pretio rerum, statu paterno, conjugali, herili &c. ita vii debent mortales, prout statuum horum finis requirit, & haec officia sunt hypothetica.

§. XII.

Cum autem leges haec recentræ ita sint comparatae ut aliae tam absolutæ quam hypotheticæ vel ad esse, vel ad bene esse rei cuiusdam faciant: illæ dicuntur magis necessariæ, haec minus necessariæ, vel necessitatis & commoditatis. Illis tribuitur obligatio perfecta, his imperfecta. Hanc diuisiōnem legum dispositionemque recte habere puto, quia natura & conditio rerum & objectorum eam sic requirit.

S. XIII.

Leyes autem haec a Deo non eum in finem hominibus sunt latæ & promulgatae, vt tantum cognoscantur, vel subtiliter de iisdem homines speculentur, sed eam ob causam Deus eas tulit, vt ad harum præcepta homo vitam moresque componat, & per eas dirigatur. Quam ab causam quilibet mortalium leges has naturales ad actiones suas applicare debet, id quod ex natura & indole hominis probari potest. Homo siquidem est animal practicum & omnis ejus natura tendit ad praxin, intellectum enim habet & voluntatem, illo cum in fine est ornatus, vt bonitatem & malitiam rerum & actionum possit cognoscere, voluntate homo hunc in fine gaudet, vt bonus liberere eligere, malum vero vitare, & juxta legem iussimque imperantis possit vivere. Ex quibus firmissime constat, Deum velle, vt omnis, qui naturam ejusmodi habet humanam, leges naturales latas ad vitaꝝ rationem applicet, voluntas autem haec Dei est immutabilis.

S. XIV.

Omnis autem directio per leges, omnis harum applicatio frustranea foret, nisi homo prater intellectum abstractiuum, etiam haberet voluntatem liberam, vt omne principium cogendi externum absit, homini autem rō facere & rō omittere liberum sit, in ejusque potestate repositum. Ut enim quis legem accipere & hanc applicare possit, requiritur, vt ne a superioris potestate sit immunis, vt visu rationis polleat, & vt gaudeat voluntatis libertate. Voluntatis siquidem libertas ex parte hominis est fundamentum totius moralitatis, quemadmodum ex parte Dei fundamentum moralitatis est Voluntas Dei, ex qua omnis finis omnisque lex pendet.

S. XV.

De libertate igitur voluntatis vt constet obseruandum, quod in hujus indagatione omnes voluntatis operationes & actiones debeamus considerare, vt inde apparet, in quibusnam actionibus Voluntas

tas libere se gerere possit, ita ut ne determinetur a potentia aliena ad objectum aliquod, sed ipsa se determinet. Omnes autem actiones relationem ad voluntatem habentes vel ab ea non dependent, * vel dependent. Actiones a Voluntate non dependentes, vel ad eam referuntur, vel non referuntur: quæ ad eam referuntur, referuntur, vel negative, vel positive. Illo modo sit, quando homo vult, & fieri negat, quales actiones sunt *impossibiles*, hoc modo sit vel voluntate *reluctante*, & haec actiones sunt *violentæ*, ** vel *prohibente*, actiones *inuitæ*. Actiones quæ a voluntate non dependent, & ad eam non referuntur, sunt *involuntariae*. Actiones quæ a voluntate dependent, dicuntur *spontaneæ*. Et hæc dependent, ut vel simul dependant ab alio quodam *principio externo in voluntatem* & cum voluntate *agente*, quales actiones sunt *coactæ*, vel ab alio *principio in voluntatem non agente*, & dicuntur *necessariae*, ut crescere, vel non dependent ab alio *principio*, sed a voluntate sola, ut hæc eligere possit, facere & non facere, & haec actiones sunt *liberae*. ***

* Dependere a voluntate h. l. designat, quando actio fieri non potest, nisi homo velit.

** ARISTOTELES *Libro III. Ethices Cap. I. de Νοοαρεψιῶν* sive *libero, ἐντόπῳ spontaneo, ἀνθετί inuito, & βιαιῷ violento* disserit hoc autem ita definit: Βιαζόν δὲ εἴ τι ἢ δέχηται φύσις τοιάν τοιά, ἐν ἣ μηδὲ συμβάλλεται ὁ πράγματος ἢ ο πάρχων. *Violentum* est cuius principium extra eis, atque ejusmodi, ut nihil adjumentum afferat is qui agit aut qui patitur, quod ipsum exemplis perspicuis l. c. illustratur. De coactis autem actionibus l. c. dicit quod καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ ἐν τῷ πράγματι principium illarum etiam in agente sit, & quod simillima sint iis quæ sponte suscipiuntur, quam ob causam etiam has mixtas esse dicit, inter spontaneas, & inuitas, siquidem tam spontaneitas quam inuitum in coactione concurrit.

*** Diuersas libertatis significaciones bene obseruauit HORNEIUS in *philosophia morali Cap. II. §. V.* Alia scil. est *libertas a servitute* quando aliquid alteri non est subjectum, e. g. si quis vocatur liber a miseria, a culpa. Alia est *libertas a coactione*, sicquid non est violentum vel coactum, aut quod sine vi agit aut patitur, sicut se habet omne quod per naturalem inclinationem agit. Alia est *libertas a necessitate*, quæ simpliciter agit respectu vtriusque oppositi, & quæ indifferenter se habet ad utramque partem contradictionis,

ita, ut posito objecto, & reliquis ad agendum requisitis, possit agere & non agere. Et haec acceptio est hujus loci.

S. XVI.

Quum igitur ex his constet objectum verum, proprium, & immediatum voluntatis, si libere agere debet, & libertatis indoles, hoc modo eadem definio: *Quod sit proprietas voluntatis, qua in operando exsirat, per independentiam voluntatis a necessitate externa absoluta, indifferenter se habens ad opposita, ut positis omnibus ad agendum requisitis, possit agere & non agere, hoc vel illo modo agere.** Requiritur igitur ad libertatem voluntatis 1) spontaneitas, seu dependencia actionia voluntate, 2) ut voluntas non determinetur aliunde absolute, necessitas enim, quae a lege inducitur, non est absoluta, sed moralis & hypothetica, 3) ut ad sint duo vel plura objecta ex quibus unum possit eligere alterum nero auersari. Quanquam igitur voluntas intellectus representationem sequatur in appetendo, tamen ejus libertas manet, quam diu non accedat determinatio per principium aliquod externum.**

* Optime de libertate Voluntatis egit B. ILLISTRIS de PVFFENDORF de J. N. & G. Libro I. Cap. IV. §. II. seq. JOH. FRANCISCUS BVDDEVVS Th. Mor. P. I. Cap. I. Scđt. IV. §. XI.-XX. JOH. JACOB SYRBIVS in Synopsi Philosoph. prima §. CXXXIV. seq. JOH. JACOB LEHMANN. In der neuesten und niuzlichsten Art die Morale gut zu lernen und auszuüben. Cap. IV. Scđt. II. §. 61.-71. & quem primo loco nominare debuisse B. LEONHARDVS HVITTERVS in Loci Theologicis loco VII.

** ANTONIUS le GRAND Institutionum Philosophie, P IX. Articulo V. De mente humana, cum quo & alii faciunt, dicit: *Pene impossibile est, quando homo rem clarissime sibi conuenientem videat, ut ad illam non feratur, quam diu idem judicium de ipso maneat.* Itaque voluntas infallibiliter versus id tendit, quod et conuenientissimum apparet, modo illud ei clare ostendatur neque minus dici debet LIBERA. Ut ego autem in hanc concedam sententiam, rationes ista a me non impetrabunt. Observandum igitur, 1) actiones voluntatis probe esse discernendas, ut ex harum distinctione libertatis fines apparent. Scilicet in voluntate dantur & *actiones & passiones*, utraque vel circa finem, vel circa media verfantur. Passiones circa finem verstantes, sunt *instinctus & fruitio*, circa media, autem *consensus*. Ad libertatem voluntatis has non pertinere, sed impe-

imperio intellectus subesse, concedo. *Actiones circa finem sunt voluntio, & intentio;* Illa iterum non est libera, sed intellectui obtemperat, intentio autem est libera. *Actiones circa media sunt electio, & Vetus mediorum,* quae prorsus a libertate voluntatis dependent. Adeoque libertas voluntatis se exserit non tam circa finem, ut is habeat rationem boni cogniti, sed circa intentionem & media, quae a sola Voluntate quadam electionem & usum dependent, vid. SYRBII *Philos. prima* §. CXXXVII. 2) teste experientia & iis que dixi consilientibus vaque fieri potest, ut voluntas praeter rei representationem ad aliam inclinationem feratur, quod testantur homines vitiis dediti, quos consuetudo & habitus prauus in id saepe adigit, vt, licet fœditatem & turpitudinem vitorum quibus dediti sunt, cognolcant, tamen voluntas & affectus praui eos in transuersum agant, ut ne externe quidem ista vicia (juxta eorum cognitionem) omniant. 3) Nec sequitur voluntas interdum per intellectum dirigitur, ergo non est libera. Libertas enim in eo consistit, ut voluntas non determinetur per principium externum necessarium, sed ipsa eligat ea qua velit.

§. XVII.

Dari ejusmodi libertatem voluntatis probatur. * 1) Ex actionibus que alter se habere possunt, & directioni subsunt, homines enim multa agunt, que ipsi elegerunt, que tamen alter agere potuerint. 2) Quia nihil indicari potest, quod actionibus necessitatem vel possit, vel si possit, velit imponere. 3) Ex ipsa fini nostri conditione, quo nec potiuntur, quem nec excedunt omnes, quemque non nisi libertate acquirere possumus.

* Vid. h. l. SYRBII saepelandati *Philosophia prima* §. CXXXVI. Obiecunt tamen nonnulli contra libertatem voluntatis 1) concussum *Dei ad actiones humanas*, que libertati poneret impedimentum; quorundam referendum est *Systema Celeberrimum P. MALEBRANCHII* in *Tractatu notissimo de inquirenda veritate* propositum, qui nullas causas secundas actionum humanarum vult admittere, sed assertit omnium hominum actiones immediate a Deo dependere, homines siquidem actionum tantum esse causas occasionales. 2) *Preficientiam Dei* 3) *fatum quoddam*. Sed 1) Deus quidem concurrit ad materialis actionis, non autem ad formale seu moralitatem ejus, que a sola voluntatis libertate dependet. 2) *Preficientia Dei* operationes causarum secundarum non tollit. 3) *Fatum, quod*

D 2

non

nonnulli cum Stoicis & JVSTO LIPSIО afferunt, siue fidereum, siue Stoicum sit, nec ex ratione, nec ex experientia, nec ex reuclatione probari potest. Vid. B. JACOBVS THOMASIVS in *Diss. de malignitate fati Stoici, & JOH. FRANCISCUS BVDDEVS in Analectis Histor. Philosophica Diss. I. & II. de Erroribus Stoicorum.* In libertate Voluntatis autem recte constituenda, duo sunt vitanda extrema, alterum illorum est, qui Voluntatis libertatem in spirituallibus nimis extendunt, & homini gratiae viribus destituto aliquam concedere volunt libertatem & vires operandi, id quod faciunt Pelagiani, & qui eorum vestigia preuent, ut PETRVS CHAVINVVS Libro II. de Religione naturali, contra quos vid aureus libellus B. D. LVATHERI de arbitrio seruo ex editione SEBASTIANI SCHIMIDII. BALTHASAR MEISNER *Philosophie Sobriae P. II. Sezt. I. Qu. XXVI.* B. JOH. ARNDIVS de Christianismo vero Libro I. Cap. XI. & XLI. Alterum est SPINOZAE extremum Ethica sue P. I. homini omnem libertatem eripientis, & in avortu couerterentis, contra quem vide disputantem Magnificum BVDDEVVM l. c. §. XXII. nota adjecta.

§. XVIII.

Cum igitur conclamata res sit, voluntatem libertate gaudere, sequitur inde necessario, quod homo actiones suas ad Jus naturae compонere possit & debeat, quod vt recte fiat, necesse est vt in hac applicatione legum ad actiones certum habeamus & de lege, & de actione nostra sensum ; hoc enim deficiente in multis erroros praecipitem quis se ferre potest. De lege certus debet esse agens, vt ejus relatio ad actiones cognoscatur ; de actione pariter circumstantiae debent esse nota, vt haec ad legem referri queant. Quanquam enim Jus naturale sit immutabile, etenim tamen potest, vt pro ratione circumstan-
tiarum haec vel illa Lex ad actionem sit applicanda.

§. XIX.

Applicatio hæc §. II. hujus capituli definita, refertur ad conscientiam, quæ est argumentatio practica de actionibus humanis, ex collatione actionum cum lege resultans. * Quenadmodum enim in argumentatione & Syllogismo duas adfinit propositiones, major & minor, ita & in conscientia. Majorem constituit notitia legum, minorum vero seu assument scientia facti ad legem relati, & hæc est applicatio de qua hoc loco sermo est ; quarum illa civilitatis hæc vero
civiles.

conscientia appellatur, ex quibus sequitur conclusio, quae moralitatem actionis ostendit. Quemadmodum igitur conscientia vel est de *praeterito*, vel de *futuro*, ita & applicatio legum ad actiones. In applicatione ad *res futuras* si conuenientia actionis cum lege appareat, actio statim in actu deducenda, si vero legi repugnet, omittenda est. Si applicatio sit de rebus *præteritis* & aberratio actionis a Lege deprendatur, penitentiam agere eamque omittere debemus. Si autem actio cum lege conueniat, continuanda est & repetenda.

* Vid. Illustris PVFFENDORFIVS de J. N. & G. L. I. Cap. III. & Dominus D. BVDDEVS *Institutionum Theol. Moral.* P. I. Cap. II. Sect. III. & P. II. Cap. §. XXV. PETRVS CHAVVINV^S de *Religione naturali* P. I. Cap. XIV. Conscientiam definit, quod sit Deus menti nostra insiden^s, cumque ea intime differens. Quanquam autem Deus nos per Leges de actionum moralitate contineat, hoc tamen non ipsum facit numen, sed humanus intellectus leges istas & actiones suas intelligens. Vid. BVDDEI *Aninadveriones in PETRI CHAVVINI Librum de religione naturali* Cap. V.

§. XX.

Conscientia quemadmodum est vel *vera* vel *falsa*, ita & applicatio Legum naturalium. Vera conscientia est vel *certa* vel *incerta*, *incertitudo* autem vti ex logicis pater, tres habet gradus. In primo gradu in duabus sententiis oppositis rationes & difficultates reperiuntur æquales, & hic gradus incertitudinis appellatur *dubium*. Alter gradus, quando ex altera parte majores adsumt rationes, ex parte autem huic opposita adsumt imbecilliores, & hic gradus *probabilitas* vocatur, adhuc enim oppositi adest formido. Tertius denique gradus est ubi minima adhuc est ratio dubitandi, qui *scrupulus* dicitur. Simili ratione conscientia *incerta*, vel *dubia*, vel *probabilis* vel *scrupulosa*. Ita & applicatio nostra debet esse *vera* & quidem *certa*, vt etiam certi esse posimus de moralitate actionum nostrarum. Si autem applicatio nostra ita sit comparata, vt conuenientia vel aberratio actionis a lege sit *incerta*, in genere obseruandum, quod in tali casu tutior sententia fit eligenda. * Si autem dubium oriatur circa questionem, an aliqua actio sit suscipienda? suspendenda est actio. ** Circa questionem quomodo? autem, modus nullus est eligendus. Si conuenientia actionis cum lege sit *probabilis*, major probabilitas anteponenda est minori, scrupulus autem est ejiciendus.

* Sententia tutior, explicante SAMVELE de PVFFENDORF de J.

N. & G. Libro I. Cap. III. §. VI. hæc est: *Vbi si vel maxime a scopo sit aberratum, non adeo graue inde potest venire malum, quam si ex altera parte fuisse peccatum.*

** PVFFENDORFIVS l.c. §. VIII. dicit: *Si enim quis in ejusmodi statu agere aliquid vellit, perinde esset ac si diceret: Mibi quidem non liquet an actio hæc legi repugnet, nihil tamen minus, siue repugnet, siue non, actionem suscipiam.* CICERO quoque Libro I. officiorum, quod opus Celeberrimus PASCHIVS vocat *opus proflus admirabile, variaque eruditione refertum*, quod & ab ipso CICERONE Libro off. I. Cap. I. & Libro III. circa finem, ut filius suis studiose legat, satis laudatum, scribit: *Bene preceptum qui vetant quicquam agere, si dubitet et quum sit an iniquum? aquitas enim iacet per se, dubitatio autem cogitationem significat injurie.*

§. XXI.

Quom autem Juris naturalis disciplina non in eo tantum versetur, vt actiones hominis imperatas & externas dirigat, sed & elicitas & internas mentis respiciat, patet, illum, qui leges philosophicas velit recte applicare, non tantum externe, sed & interne honeste vivere debere. Adeoque leges naturæ in applicatione tam ad actiones externas quam internas sunt referenda, finis internum enim juris naturæ, ex intentione Dei, est & externa, & interna hominis felicitas.*

* Vid. h. I. Celeberrimi BVDDEI Elen. Phil. Pract. P. II. Cap. I. §. IX. X. & XL

§. XXII.

Quam ob causam in omni actione curæ cordique homini esse debet, vt actio quoad omnes circumstantias ad moralitatem aliquid facientes, cum lege conueniat, nequid in actione sit quod legi contrariantur. Et hoc vulgo in Scholis inculcatur: *Actio non solum debet materialiter, sed & formaliter esse bona.* Hinc illud DIONYSII AREOPAGITÆ cognominati, *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.* Quare famosa illa methodus dirigendi intentionem considerare nequit.

§. XXIII.

In circumstantiis autem actiones concomitantibus rite expendendis juvabit, vt ea circumstantia quæ legis sunt, anteponantur iis, quæ sunt prudentiae. Illæ squidem ex intentione diuina fortiore his gaudent obligatione. Circumstantia autem juris seu legis naturalis

ex

ex connexione cum fine rerum sunt assimilandas, ex vero circumstantia quæ ad prudentiam politam pertinent, ex externis accidentibus actionum cognosci possunt. Prudentia siquidem Politica id suadet, qua ratione actiones externe ita dirigere debeat homo, ut communum in se siumque statum ex iisdem redundet. Circumstantia autem quæ sunt innumerabiles, ad certas tantum classes morum doctores eas rectulerunt, scilicet ut vel pertineant ad Finem agentis, vel subjectum agens, objectum actionis, auxiliata physica quam moralia, modum, locum, & tempus agenti. Inter quæ cum finis luculentissime de animo agentis testetur, primo omittimus in applicatione semper bene examinandus est, ut trutina justior legi respondeat.

S. XXIV.

Sæpe numero autem fit, ut ejusmodi concurrant circumstantiae in actionibus, quæ omnes vtique obligationem important, ita tamen, ut si alteram obseruandi homini animus sit, alteram postponere necessario eum oportet, ita, ut per ipsismodi circumstantias neglegentem utique Lex quædam naturalis ledetur. In tali autem casu præderit si ea circumstantia, quæ maiorem cum fine hominis habet connexionem, anteponatur ei, quæ minorem habet, illa siquidem fortior gaudet obligatione; quo propior enim actio ad suum accedit finem, eo melior. Quam ob causam ea impedita quæ obstant, quo minus homo ad suum finem peruenire possit, remouenda omnino sunt. **

* Sic e. g. res se habet in defensione violenta. Alias extra ejusmodi circumstantiam nec se ipsum internecionem exponere, nec alium internectioni dare licitum est atque concessum. Circumstantias autem has rite evoluendi ignotum esse non potest, officia hominis erga se ipsum absoluta, in tali casu ob connexionem horum cum fine hominis, majoris esse ponderis illis, quæ alii sunt præflanda, & hanc ob causam ratione obligationis iisdem anteponenda, ita quidem, ut vel por alterius mortem vitam nostram conservare queamus. Porro in moralitate sermonis & veritatis proponendas, hanc de circumstantiis regulam obseruandam esse, nemo negabit. Sic sermo omnis hunc habet finem, ut omnia quæ sum propositurus cum amore Dei, mei, & proximi conueniant, saltem eidem non repugnant, qui fines tamen ita sunt subordinandi, ut juxta eam circumstantiam, quæ ad majorem facit finem, loquar. Quod ipsum gregie demonstrauit M. JOH. RUDOLPH BRACHVOGEL in

in *Diff. de moralitate veritatis ejusque oppositorum* Jenæ 1718. habita.
 Et hoc modo juxta hanc regulam optime de eo quod mendacium
 est judicari potest, quod hoc non in sola simulatione & falso loquio
 consistat, sed in eo, quando per falsi loquium circumstantiam mi-
 noris momenti intepono circumstantia majoris momenti, & e. g.
 propter amorem erga me ipsum peruersum, amorem erga Deum
 laudo, vel per simulationem, in eum injustum commodum, proximi
 autem injustum damnum promoueo, quare B. LVTHERVS in
Commentario in Genesim p. 156. mendacium recte definit: *Eine Lü-
 gen ist eigentlich, da man etwas Falsches thut zu ungerechten Nutzen,
 und den andern zu ungerechten Schaden redet.* Sic simulationes
 obfetricum Egyptiacarum Exodi I. Rahabæ. Josuæ II. Samuelis
 I. Samuelis XVI. nequaquam fuerunt mendacia, siquidem hic
 semper ex circumstantiæ, qua majorē cum sua habuerunt con-
 nexionem, iis anteposita sunt, qua vel nullam, vel minorem habue-
 runt, vid. de his locis notæ FRANCISCI JVNII & EMAN-
 VE LIS TREMELII in sacra Biblia II. cc. HVGO GROTIUS de J.
 B. & P. *Libro III. Cap. I. §. IV.* usque ad finem. BALTHASARIS
 MEISNERI *Philosophia Sobria* P. I. *Cap. II. Qu. VI.* Hæc etiam re-
 gula in doctrina de jure & fauore necessitatis vñum habet non me-
 diocrem.

** Moralistarum philosophorum hac de re hæc est sententia, ut in ta-
 li circumstantiarum dispositione dicant leges ipsas concurrere, qua-
 rum altera obligationem suam amittat. Verum enim vero cum
 lex nulla sit, vbi non sit obligatio, & lex, naturalis præsertim, obli-
 gationem suam nunquam amittat, leges etiam naturales sibi nun-
 quam sint contrarie, apparet, quod nullus legum sed circumstantia-
 rum tantum sit concursus.

§. XXV.

Interdum autem euenit, vt necessitas a) quedam impedit quo
 minus homo officia sibi demandata præstarea queat. Qua ratione
 autem homo in ejusmodi casu gerere se debeat, vt omnia in legum
 applicatione recte se habeant, ita morum legumque doctores ordina-
 runt. Scilicet dispiciendum; num leges quæ in casu necessitatis b)
 obligare debent sint *diuina vel humana?* hæ necessitati natura sua ce-
 dunt, finis enim harum est commodum & utilitas quæ in homines re-
 dundare debet, non autem destruere hominis. Quodsi autem aperte
 contrarium a legislatore, & quidem per hominum consensum fuerit
 dilpo-

dispositum, non cedunt necessitatibus. Illæ diuinæ scil. sunt vel *negative* vel *positive*, hæc, quia materiam & occasionem requirunt, si obligatio locum habere debet, etiam in casu necessitatis non obligant. c) Leges enim affirmatiæ obligant quidem semper, non autem ad semper. Illæ interdui etiam cedunt necessitatibus, dipiciendun scilicet num necessitas originem habeat a Deo, vel ab hominibus? & in hoc casu an malitia hominum primario intendat mortem vel transgressionem legis, & an medium cuenienti ab hominibus suppedetur? Si necessitas originem habeat a Deo, & per medium quoddam quod natura suppeditat homo se seruare possit, ejus modi medio, licet alias prohibito d) vt licet, si autem medium suppeditur a malitia hominum eo vt non licet. Si necessitas originem habeat a malitia hominum, & primario homini intendat mortem, & medium euadendi naturale suppedetur, licet eodem vti, etiamsi a Deo alias prohibito, e) Deus enim non præsumit leges in nequitia humanae utilitatem tulisse. Si autem necessitas dependeat a malitia hominum, & hæc intendat legis transgressionem, medium licet euadendi suppedetur, legi contrarium, nequam est accipiendum, sed mors potius toleranda, alias enim Deus, veraque abnegaretur religio. f) Hæc omnia juxta finium & circumstantiarum subordinationem recte se habent. In quibus omnibus tamen Intentio contra Legem Dei agendi longissime debet a nobis abesse.

- a) De Jure & favore necessitatis accuratissime docuerunt Viri Illustres & Celeberrimi B. SAMVEL de PVFFENDORF Libro II. de J. N. & G. Cap. VI. & CHRISTIANVS THOMASIVS Institutio num Jurisprudentie diuina Libro II. Cap. II. §. 123. vique ad 175. & JOH. FRANCISCVS BVIDDEVS Institut. Theol. Moralis P. II. Cap. III. §. XXI. & nota adjecta.
- b) Necesitas triplex est, alia ad *bonitatem*, alia ad *incolumitatem*, alia ad *commoditatem*, media est hujus loci.
- c) Sic Lex de sanctificando Sabbatho in casu necessitatis non obligat, vt recte temporibus Mathatia fuit definitum, i. Maccabœr. II. vid. GROTIUS de J. B. & P. Cap. IV. §. VII.
- d) Sic Davidis tempore famis comedit panes propositionis i. Samuelis XXIII. Et difficultate annonæ, summaque rei frumentariæ inopia ingravescente, pauper vt se conseruet diuiniti annonam vel panem vel cuiuscunq; generis cibum, si ad sui sustentationem illi aliquid concedere detrectet, vel vi, vel clandestino modo auferre potest, salva justitiæ.

E

e) Sic

- e) Sic si tyranni V. T. temporibus innocentem Judæum vellent fame necare, vita sua consilere possit eſu carnis fuillæ.
 f) Ex hac ratione Judæi. Maccabeor. VII. mortem prius sibi inferri passi sunt, quam ut carne fuilla vescerentur. Et omnes veri & sancti martyres ex hac ratione exquisitissimos dolores potius sunt perpeſsi, quam veram abnegassent Religionem.

§. XXVI.

Hæc de circumstantiis in applicatione obſeruandis, dicta ſunt. Addo adhuc quod in iis officiis quæ erga ſe ipſum ſunt exercenda, & hypothetica ſunt, ſemper homo ad ſtatuum & rationem ſuam * in qua eſt conſtitutus respicere debeat, id quod etiam obſeruandum eſt in officiis hypotheticis, quæ aliis exhibere debemus. In hiſ enim ſi juſte homo vult agere, ſemper ſtati & conditioni ejus, cum quo agit, debet attendere. ** Quoties enim in hiſ officiis mutantur perſonæ, toties etiam aliter circa eas me gerere debeo. Quod tamen nullam mutationem in jure naturæ importat vel in certitudinem, leges enim non mutantur ſed circumſtantia objectorum.

* Sic Princeps ad ſui conſeruationem maiores requirit ſuntius quam rufiſcus.

** Sic, ſi beneficia aliis ſunt exhibenda, profecto viro præcipuo & honesto, qui ad incitas præter culpam ſuam fuit redactus, vt Iro quaſi pauperior fit, maius pro ſtatus ſui ratione exhibere debeo beſſicum quam alii ex inferiori ſtatu, vid. h. l. IMMANVELIS PROELEI Grund-Sätze des Rechts der Natur in den Vorbericht §. 6. ſep.

§. XXVII.

Ex hac relatione actionum ad leges, actiones diuersas fortiuntur appellationes & respectus. Illæ actiones, de quibus lex in neutrâ partem diſponit, vocantur actiones licita, quæ vel minus plene, & plene licita ſunt, hæc ſunt, ſi actio & jure diuino & humano fit confeſſa, illæ, ſi jure humano tantum, licet hoc diuino repugnet. Si actio cum lege congruit, vel ab ea aberrat, vel bona, vel mala eſt. Illa eſt vel juſta, vel boneſta, decora huic non ſpectat. In genere actio dicitur bona, ſi conueniat cum lege & quidem tam externe, quam interne, & h. m. interdum actio honesta & bona ſunt synonyma. Si autem honestam actionem a bona diſcernere velim; boneſta hæc erit, quæ habet conuenientiam externam cum lege, citra reſpectum ad alios, & h. m. honesta actio dicitur in ſtrictiore lensu. Actio juſta eſt, quæ conuenit cum Lege,

&

& habet respectum ad alios. Igitur omnis actio iusta est quidem actio in genere bona, sed non vice versa.

S. XXVIII.

Justitia haec sumitur vel pro attributo personæ, vel pro attributo actionis. Ita in sensu definitio Vlpiana habet locum, quod sit conservans & perpetua voluntas suum cuique tribuendi, pro attributo autem actionum summa, est convenientia actionis cum lege, cum respectu ad alium cui aliquid debemus. Cum autem alteri aliquid vel jure perfecto, vel imperfecto debeamus, illo respectu justitia dicitur particularis, Explatrix, vel Justitia stricte sic dicta, prout GROTIUS, PVF-FENDORFIUS, THOMASIVS, & alii his vntunt, hoc respectu justitia est Universalis, attributrix vel Charitas. Illa species justitiae subdividitur in rectriam, & aquarioriam, illa est inter superiores & inferiores, hanc inter aequales, & ad hanc tot referuntur species justitiae, quorū dantur officiorum genera inter aequales, obligationēm perfectam habentia; Hæc Justitia diuiditur, in commutatiūm & distributiūm, quarum illa nititur contractū bilaterale potissimum circa res & actiones in commerciū venientes; Hæc nititur pacto inter societatem & membra inito, circa participandum pro rata danūm & lucrum.

S. XXIX.

Actio mala est quæcumque a lege aberrat. In specie vero actio iusta est, si alter alterum laedit, sive contra jus perfectum, sive contra jus imperfectum peccet. Si jus perfectum tertii laeditur est *injuria*, ad quam requiritur 1) vt tertio inferatur damnum; hoc vel fiat verbis vel operibus, 2) vt fiat eo in vito cui infertur, 3) vt fiat data opera; si enim hoc requiritum desit, in fortunum potius vel culpa est, quam injuria.

S. XXX.

Nec desunt impedimenta, quæ mortales testudine tardiores redditunt quo minus in applicatione legum naturalium sinceros atque morigeros se gerant, de quibus multa adhuc dicere possem, si locus scribendi adest. Humana enim natura in legum naturalium applicacione, vulpe fraudulentiem, & ipsa nequitia nequiorem se gerit. Sic multi eo stultitiae prolabuntur, vt juris naturalis sensum verum corrumpant, talem autem in ejus locum surrogent, qui cupiditatibus prauis sit conformis. Alii prouerbia communia, s̄pē numero peste quavis pestilentiora, aliorunque Exempla, loco normæ habent. Alli per

E 2

Sophis-

Sophismata practica, quæ non in sola logica disciplina, sed in vita ci-
villi, quid? quod inter gentes liberas, ejusmodi fallacibus pacta sua elu-
dentes, * reperiuntur, falluntur. Ratio denique status spuria & fal-
sa ** affectuum impetus multos ad deuia dedit, quo minus jus na-
turae ad actiones recte applicent. Quæ obstacula omnia ex prava phi-
lautia originem ducent. Omnia amplius deducere possim, sed ne ni-
mis sim prolixus abrupto.

* Vid. H. GROTIUS Lib. II. J. B. & P. Cap. XVI. & PVFFEN-

DORF de J. N. & G. L. V. C. XII.

** Quod ipsum FRANCISCVS SALIGNAC DE LA MOTHE
FENELOM in elegantissima Telemaci Historia præclare ostendit.


s. XXXI.

Hæc sunt quæ de recta juris naturalis applicatione putauit edisse-
renda, spero fore ut benevolus Lector exiguum hoc specimen acade-
micum fronte si accepturus serena. Nihil amplius expeto, quam ut
omnia accurate consideret, bona a malis (si quæ præter intentionem
meam irreperferint) probe fecernat. Non enim quæ meditatus sum,
pro infallibilibus jalicantur. Si quid boni in hac dissert. inueniatur,
Deo qui vires concepsit, meisque detuenerandis patronis & præceptoris
bus, dum in hac, dum in Alma Jenensi Academia adhuc supersitibus
adscribat, errata autem mili tribuat, liquide & ipse homo sum &
quidem juuenis. Errores autem commissos moneat, etiam atque et-
iam peto, non me promptius monebit errantem, quam ego monen-
tem sequar. Et si quid veritati, pietati, si quid bonis moribus, si
quid sacris literis dissentaneum propositum sit, id nec
dictum esto!

E M E N D A N D A.

Legas p. 4. l. 10. aigerr̄ ibid. l. 12. duogēges ibid. l. 22. Aθναῖος p.
5. l. 17. lege παρόδω p. 9. l. 34. procemio l. 37. differere p. 11.
l. 14. lege necessario p. 16. l. 3. minima ibid. l. 11. jam tum p. 23. l.
20. lege facientia p. 25. l. 34. si quid p. 29. l. 7. deprehendatur ibid. l.
22. lege scrupulosa p. 32. l. 27. quod sibi &c. p. 26. l. 9. Geometria ibid.
l. 18. doctissimo & l. 10. Cap. I. reliqua lector benevolus ut condonet,
peto.

F I N I S.




TA-OC (1+12)

56.



W18



1720 / 15
436
4
4

DISSSERTATIONEM PRACTICAM
DE
LEGITIMA
PRINCIPIO.
RVM J. N.
APPLICATIONE
AMPLISSIMÆ FACVLT. PHILOSOPH.
CONSENSV
PVPLICE PROPONIT
PRÆSES
M. JO. SYLVESTER *Weingärtner*
S.S. THEOL. CVLTOR ET COLLEGII AMPLO-
NIANI COLLEGIATVS
RESPONDENTE
GEORGIO CASPARO *Stieler* ERF.
PHIL. ET JVR. VTR. STVD.
AD DIEM XXV. JAN. A. O. R. MDCC XX.

ERFVRTI
TYPIS JOH. MICH. FUNCK, AGAD. TYPOGR. ADJ.